

De potione iucundissimā

“Darius in fuga cum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit umquam se bibisse iucundius: numquam videlicet sitiens biberat” (Tusculanae Disputationes, liber V).

Aliquot ante annos David et ego, condicionibus corporis optimis confidentes et ambitione capti, iter longum in montibus Germaniae suscepimus. Mediā nocte montem celeriter ascendere coepimus ad primum apicem attingendum, antequam caloribus aestivis opprimeremur. Cum fessi et sudore madidi ad illum apicem advenissemus, id aquae quod quam mecum tuleram paene exhaustam esse animadverti. Cum pro dolor fontes nusquam inveniri possent et maior pars itineris adhuc instaret, mihi ipsi male dicens aquam reliquam conservare constitui. Sed iter secundum iugum montis mihi infinitum videbatur esse, ergo caloribus cruciata et siti laborans consilium aquae conservandae abieci. Cum demum in apice secundo ad breve tempus quiesceremus, aquā carebam, ergo os meum tam erat siccum ut nihil edere possem. Siti atque fame ardens ascensum in apicem tertium aegre confeci; me spongiam siccam esse mente finxi.

Denique descendere coepimus; frustra de fontibus et lacubus frigidis somniavi, qui in illo genere saxorum tantum raro inveniuntur: aqua enim in cavernas defluere solebat. Per multas horas semitam secuti sumus; propter saxa praerupta saepe funibus descendere coacti sumus. Paene nuntium non animadverti magnis litteris in saxo pictum: *Aqua a dextra*.

Incredula quam celerrimē potui semitam percurro, et profecto fontem ex saxo emicantem invenio. Diis gratias ago, et in mediā semitā cubans caput in illum fontem immergo. Me numquam totā omni vitā avidius iucundiusque potavisse certa sum, nec aquam nec vinum magni pretii. Diu bibi ad illam sitim exstinguendam qua per multas horas cruciata sum, dum David ridens me monuit ut satis aquae relinquerem ad usum aliorum ambulatorum.